

insequatur, aut obligatio vel directe, vel per indirectum solvatur. Sic plurimæ Bullæ per oblivionem, aut usum contrarium in desuetudinem abiisse videntur, maxime quatenus pœnas dictant, prout testatur Zalwein Princip. Jur. Eccles. cap. 5. §. 1. 4 Ad quod plurimum conducit, quod attendantur Jura Ecclesiarum Germaniæ particularia, & præcipue Synodorum nationalium, & provincialium Canones, qui, si longo usu, observantia, & consuetudine fuerint roborati, omni jure Pontificum Bullis, & Decretis, veluti innocuæ libertates in usu juris particularis, debito cum respectu opponi possunt præsertim. 5 Cum Concordata, ut pacta, & fœdera inter summos Pontifices, & Nationem germanicam inita eam obligationem ex Jure naturali, & divino sortiantur, ut summa Sedes per nova Decreta, præsertim si sint pacta publica pro salute Ecclesiæ, aut Reipublicæ inita, tam facile contravenire non possit. 6 Proin libertates Ecclesiarum Germaniæ eo certius custodiuntur, cum Episcopi Germaniæ insimul principatus sæculares regant, ipsique id, quod ditioribus subditis convenit, perbene dignoscant, & eo magis prævenire, & contraria avertere valeant. 7 Si Bulla, vel Decretum Pontificium bonum notabile politicum concernit, tunc fit, ut etiam civilis potestatis assensus merito requiratur. 8 Solummodo civilis potestatis moderata cognitio circa Bullas, & Constitutiones admittitur, quando materiam politicam, aut cum ea connexam pro objecto habent, nam & in eo casu raro dici poterit, quod aliqua Bulla, vel Decretum omnibus Provinciis totius Christiani orbis sit accommodatum, & non pro diversitate Nationum mutationem patiat. Per ejusmodi usum moderatum libertatum germanicarum circa receptionem Bullarum, & Decretorum nullo modo contrariatur auctoritati summi Pontificis, quia tam à Principibus ecclesiasticis, quam sæcularibus semper reverentia, & obedientia pro comite habetur.

Unice adhuc restat disserere, quemnam Bulla (a) in Cœna Domini in Germania habeat usum, & auctoritatem, cum *Espenius* huic Bullæ pro terris Belgii, & Galliæ omnem vigorem simpliciter adimit, quia ibidem nec admissa, nec unquam publicata fuit. Quod ad hujus Bullæ in Germaniæ Provinciis auctoritatem attinet, illa in omnibus locis, ubi publicata, & acceptata fuit, eandem quam cæteræ Bullæ, & Decreta Pontificia, fidem, & auctoritatem præsert: ratio vero illius non-usus in certis articulis nequitam consistit in

(a) De Bulla in Cœna Domini.

despectu, sed in vera Politia, cum singulis Germaniæ Provinciis, earumque legibus, consuetudinibus, moribus, genio, & ingenio non sit accommodata, in multis objectis contradicat Concordatis Nationis Germanicæ, & in nonnullis locis etiam Politiam sæcularem, quam in Germania Proceres laici sibi vendicant, vehementer attingat, quocirca libertates Ecclesiarum Germaniæ per indirectum quodammodo impugnantur. Hujus Bullæ publicationi jam dicitur *Rudolphus II.* Imp. anno 1586. strenue se opposuisse. *Augusta Imperatrix*, & *Regina Maria Theresia* per edictum de 10. Octob. 1766. usum hujus Bullæ in Provinciis Lombardiæ interdixit, quod exemplum etiam alii Status sæculares secuti sunt. Immo etiam Romæ jam à tempore *Clementis XIV.* ab annuali hujus Bullæ publicatione desistitur.

Regulas Cancellariæ in Germania describimus (a), & agnoscimus, ut *Constitutiones pontificias à quovis Pontifice ad initium sui regiminis præscriptas, quæ normam, & ordinem, potissimum Cancellariæ Apostolicæ, res beneficiales, resignationes, & dispensationes concernunt.* Pro usu Germaniæ serviunt sequentia. 1 Exspirant hæ regulæ una cum quovis Pontifice. 2 Et hinc Sede vacante non obligant saltem extra Curiam. 3 Quapropter ordinarii Collatores possunt conferre beneficia, quæ vi regularum sunt Pontifici reservata. 4 Istas regulas solent Pontifices neolecti post unum, alterumve diem de novo reassumere, & prout libuerit, restringere, limitare, augere, & multiplicare. 5 Præsumunt adeo legalem insinuationem in Germania. 6 Ubi non obligant, nisi à die rite, & legaliter factæ insinuationis, & 7 in quantum sunt receptæ, & promulgatæ, quamvis Romæ jus locale faciant, aut 8 in quantum non contrariantur observantiæ locorum, aut juribus particularibus, & Concordatis Nationis Germanicæ. 9 Potissimum vero stringunt Germanos agentes in Curia Romana; 10 hinc etiam earum in Germaniæ Provinciis circa numerum diversimodus est usus, imo 11 quædam regulæ, ut leges patriæ, perpetuantur, & de jure constanter, uti in Gallia recipiuntur potissimum, quæ ad fraudes in beneficiorum provisionibus occurrentes amoliendas inserviunt. Hæc sunt generaliora capita, in quibus regularum Cancellariæ usus pro terris Germaniæ consistit.

*Espenius* memorat difficultates circa publicationem, & per eam quodammodo receptionem Concilii Tridentini (b) quoad articulos disciplinæ in Belgio, & Gallia ortas. Receptum tan-

(a) De Reg. Cancellar. pro usu Germ. (b) De Concil. Trid. in Germ.

dem & in Belgio fuit etiam in materia disciplinæ, seu reformationis, salvis tamen restrictionibus, præcipue jura regia, & regionum Consiliorum, ac Magistratum, necnon privilegia, & consuetudines, regimen politicum, & externum harum Provinciarum concernentibus. in Gallia plures sunt ordinationes regię, quibus præcipua Concilii Tridentini Decreta Disciplinæ probantur, nulla tamen illius Concilii facta mentione, eoquod regii Magistratus noluerint Concilium istud in materia disciplinæ agnoscere. In pluribus quoque Gallię Conciliis vix non pleraque illius Concilii Decreta circa reformationem fuerunt admissa, quatenus non derogant libertatibus gallicanis. In Germania cum Prælati & Principes Catholici Decreta Concilii Tridentini receperint, illud ibi uti in universa Ecclesia catholica jus novum statuit. Germani fere circa Decreta reformatoria eundem modum, quem Galli, alięque Nationes catholicę, secuti sunt, ea tantummodo recipiendo, in quantum concordatis Nationis, aut libertatibus Ecclesiarum germanicarum non adversantur. Quinimo ipsi etiam Protestantes quædam capita Concilii Tridentini libenter agnoscunt, & statim recurrunt ad ea, si ipsos inter, & Catholicos ratione Decimarum, Juris Patronatus, aut reddituum ecclesiasticorum lis moveatur. Casus dubios in materia reformationis obversantes decidit Congregatio speciatim desuper erecta, ita tamen, ut inconsulto Pontifice nulla fieret declaratio: Dogmatica vero illi soli sint reservata. Germani quidam Jureconsulti in materia circa sponsalia clandestina imprudenter provocant in decidendo ad regulam, *utrum in loco*, ubi quæstio oritur, *Concilium Tridentinum sit receptum*. Nam istud Concilium equidem matrimonia clandestina declaravit invalida, non autem ex eo evertit per indirectum etiam validitatem sponsalium clandestinorum, sed hæc reliquit intacta & juxta dispositionem Juris communis, unde certum est, isthęc esse valida, & servari debere. Cur autem circa clandestina sponsalia nonnumquam alia expositio, vel interpretatio requiratur, provenit ex diversis tum caussarum, tum personarum, & nonnumquam locorum circumstantiis.

Decretum Concilii Tridentini circa annum, vel saltem triennem Synodi (a) provincialis celebrationem Sess. XXIV. cap. 2. de Reform. in Germania strictissimæ erat observantię ita, ut, quæ ad materiam disciplinæ ecclesiasticę restaurandam,

(a) De Synod. Germ.

dam, & conservandam requiruntur, sedulo provisum fuerit. Probant illud partim Concilia Germanię provincialia, & Synodi Diocesanę post Concilium Tridentinum celebratę, partim Ordinationes, Mandata, & Constitutiones synodales. Hęc omnia Concilia provincialia, & Synodi habuerunt pro basi Concilium Tridentinum. Decreta in istis Synodis ad ecclesiasticam disciplinam restaurandam, ac fulciendam edita merito ut notabilis moderni Juris ecclesiastici portio reputanda sunt, utpote è quibus optima disciplinæ ecclesiasticę norma præsentī Ecclesię statui accommodata hauriri potest, quapropter & merito expendenda per eos, quibus cura conservandę, aut restaurandę disciplinæ incumbit. Non tamen Synodorum provincialium obligandi auctoritas ultra Provinciarum singularum respective fines se extendit, neque diocesanarum extra fines singularum respective Diocesium. Curarunt nonnumquam Synodi, sua Decreta firmari auctoritate regia, præsertim si bona temporalia attingerent, aut saltem externam disciplinam à Laicis observandam. Hisce Decretis Laici difficulter se submitterept, nisi auctoritas regia accederet. Quinimo Magistratus regii publicationem synodaliū Decretorum in simili materia sine prævio consensu suo vix permitterent, timentes, ne forte in his quidquam occurrat, quod juribus regis præjudicaret.

Omnia Germanię Concilia colligit (a) clar. P. Harzheimius. Adsunt quidem antiquiores Conciliorum collectiones, quę autem non solum Germanię, sed & aliarum Provinciarum Concilia complectuntur. Ex his prima est illa Jacobi Merlini Doctor. Paris. de anno 1523. Altera est Petri Labei Ordinis S. Francisci sub titulo: *Concilia omnia tam generalia, quam particularia ab Apostolorum temporibus in hunc usque diem à SS. Patribus celebrata: Colonia 1538. & 1557.* Hanc insecta est illa Laurentii Surii Carthus. Parisiis anno 1567. edita sub titulo. *Concilia omnia tam generalia, quam provincialia, atque particularia.* Hanc imitatus est Severinus Binius Colon. Canonicus, à quo tres Collectiones de annis 1606. 1618. & 1638. Coloniae prodierunt. Pro maxima autem Conciliorum collectione habetur illa, quę Parisiis edita fuit. Labeus pariter collectionem novam inchoavit, sed morte præventus eam ultra prosequi non poterat, adeoque eam Gabriel Gossart compleverat sub inscriptione: *Sacrosancta Concilia ad regiam editionem exacta, quę nunc quarta parte aucta prodiit Parisiis: anno 1674. & postea additamentis à Stephano Baluzio illustra-*

(a) De collect. Concil.

tiata fuit. Præstantissima collectio est Joannis Harduini sub titulo: *Collectio maxima Conciliorum generalium, & provincialium, Decretalium, & Constitutionum SS. Pontificum* 12. volum. Parisiis 1715. Collectionem P. Harzheimii adhuc præcedit illa, quæ curis Nicolai Coleti sub titulo: *Sacrosancta Concilia ad regiam editionem exacta* Venetiis 1728. adscribitur, & à Joanne Dominico Mansi anecdotis in VI. tomos divisim exornata fuit. Reliquæ Conciliorum collectiones videantur apud clariss. P. Zallwein in princip. Jure eccles.

Inter Synodos regia auctoritate (a) firmatas Espenius speciatim pro novissimis temporibus refert Cameracensem, & Mechliniensem, quarum sicut & regionum edictorum desuper editorum articulos simul adducit. In illis præprimis agitur de professione fidei emittenda ab assumendis ad Magistratum, nec non ab omnibus Officiariis justitiæ tam civitatum, quam pagorum, uti & à Ludimagistris, & Ludimagistrabus, Typographis, Librariis, ac Bibliopolis, qui ultimi etiam tenebantur præstare juramentum in sua admissione de non invehendis libris prohibitis, nec secreto distrahendis. Agitur quoque ibi de ordinatione Scholarum; celebratione Festorum &c. Supersedeo referendis aliis articulis, cum adducuntur, ubi oportunitas tulerit in hoc ipsomet Espenii Jure ecclesiastico in epitomen redacto. In Germania nostra circa ejusmodi articulos, qui mixtam aliquam cum Politia ecclesiastica, & civili connexionem patiuntur, attendere oportet ad diversimodas consuetudines, & Provinciarum observantias, prout & ad ordinationes provinciales, per quas sufficienter ubivis locorum provisum est, ne tam facile inter Magistratum ecclesiasticum, ac civilem aliqua dissensio, aut turbatio suboriri possit.

Inter res cum Politica ecclesiastica, & civili (b) connexas reputatur materia Decimarum, cujus cognitio juxta Espensium in Gallia, & alibi vi edicti regii ad Consilia regia pertinet. In Germania usu, & observantia potissimum introductum est, ut in Curiis sæcularibus Decimarum laicarum casus litigiosi decidantur. Videntur in Germaniæ terris complures Decimæ originetenus esse sæculares, & ideo perbene ad differentiam inter Decimas ecclesiasticas, & sæculares quoad reparandas Ecclesias attendi solet, ita, ut Laici Decimis investiti eas in qualitate Decimarum sæcularium possideant, & exinde ad reparationem Ecclesiarum non possint obligari, nisi ad hanc ex observantia, aut aliunde ex pacto speciali, aut vi anni nor-

(a) De rebus cum Polit. civil. & eccles. connexis in German.

(b) De mater. Decimarum in German.

malis teneantur. Unde & circa perceptionem Decimarum Pax Westphalica diversimode disponit. Sic *Instrument. Pacis Osna-brug. Art. 5. §. 15.* statuitur de Decimis Novalium: *Fundationes, quæ die 1. Januarii 1624. in possessione, vel quasi juris decimandi è bonis novalibus in alieno territorio fuerunt, etiam in posterum sint, & nihil novi juris quærat. Inter cæteros Imperii status, & subditos id juris esto, quod jus commune, vel cujuscumque loci consuetudo, & observantia de Decimis ex bonis novalibus constituunt, aut per pactiones voluntarias conventum est.* Ex hoc inferri nequit, perceptionem Decimarum novalium, vel ad Decimatorem universalem, vel ad Dominum territorialem, vel ad Ecclesiam pertinere, cum illa per pacta, aut jus commune, aut cujusvis loci consuetudinem, & observantiam passim terminetur, unde patet, per pacem Westphalicam immutatum in pluribus capitibus fuisse Jus canonicum: istud enim præscribit, ut Decimator universalis eo tertius, cum id, quod majus est, percipiat, etiam novales Decimas possit exigere cap. 27. de Decimis.

Amortizationem quod attinet (a), de qua Espenius incidenter tractat, hæc quidem in nonnullis Germaniæ ditionibus non incognita, sed non in omnibus introducta est. Sic & in extructione novorum Monasteriorum, Ecclesiarum, aut in ædificatione ædium ad pius usus destinandarum juxta observantiam, & exigentiam cujuscumque loci partim ad jura Domini territorialis, partim ad possessionem anni normalis, aut singularia conventa, præsertim in locis mixtæ Religionis attendi solet, cum sine prescitu, & speciali licentia Domini territorialis juxta communia Juris publici principia nova ædificia non possint extrui. Quamvis in Germania ad evitandas contentiones in hisce casibus, & rebus ad politiam sæculare pertinentibus non parum conferat, quod Principes ecclesiastici etiam insimul jurium territorialium sint capaces.

Status ecclesiasticus Germaniæ (b) non à solo Jure canonico norman sortitur, sed insuper legibus peculiariibus Imperii, pactisque conventis Imperatoris tam cum ipsis Statibus, quam cum exteris innititur. Auctor libri sub titulo: *Principia Juris eccles. ad usum German. accomod.* Constitutiones Imperii, quæ connexionem cum Jure ecclesiastico habent, in tres classes, nempe antiquas, medias, & novissimas dividit. Antiquæ incipiunt à Carolo M. usque ad Carolum IV. Huc referuntur, 1 Capitularia Regum Francorum. 2 Constitutiones Imperii, quas colligit Melchior Goldastus, suspectus tamen hinc inde, prout

(a) Amortizat. in German. usus. (b) De Constit. Imperii cum Jure ecclesiast. connex.

prout citatus ait Auctor, Imposturæ literariæ: 3 Diplomata Imperatorum: 4 Concessa Ecclesiis, ac Monasteriis Statuta, privilegia, & libertates Collegiorum ab Imperatoribus confirmata, Literæ solennes foundationum &c. *Mediis* adnumerantur constitutiones à Carolo IV. usque ad Carolum V. Eo specialiter pertinet aurea Bulla, in qua prædria, aliaque jura Electorum ecclesiasticorum, nec non ritus sacri in electione Cæsaris, & alias observandi describuntur. *Novissimæ* sunt, quæ inde à Carolo V. usque ad nos emanarunt: Huc spectant, 1 *Transactio Passaviensis*, ubi juxta citatum *Princip. ecclesiast.* &c. Auctorem de solo vitæ, ac conversationis externæ pacifico commercio transactum, nil vero de visceribus causæ Religionis, nec de controversis fidei articulis. 2 *Pax Religiosa*, in qua conditiones, & fines inter utriusque Religionis partes, Cath. & A. C. addictos terminantur. 3 *Pax Westphalica*. Vi instrumenti hujus pacis Pax religiosa tam in punctis Religionem, quam Politiam concernentibus pro basi habetur, & tolerantia trium religionum, libertas mutandi eas, cessio bonorum ecclesiasticorum, mutua, & exacta æqualitas in utraque Religione stabilitur, hæcque omnia per Capitulationes Cæsareas iterato confirmantur. 4 *Pax Ryswicensis*, in qua instrumentum pacis Westphaliæ pro fundamento ponitur, & de permanente Religionis catholicæ statu in locis restituitis agitur. 5 *Pax Badensis*, ubi singularia quædam ad jus ecclesiasticum Germaniæ pertinentia capita deliberata fuerunt. Sic ibi Art. 17. nonnulla de beneficiis ecclesiasticis & personis capacibus non revocandis, nec non de Religionis statu custodiendo inserta sunt. 6 *Recessus Imperii*. Ex his de Concordato, Annatis, & officio Papæ in bello turcico agit R. J. 1500. tit. 43. Tutitionem S. Sedis Romanæ, nexumque Ecclesiæ germanicæ cum illa docet R. J. 1512. De jure convocandi Concilia agunt R. J. 1524. §. 28. 1529. §. 7. 1532. Art. 1. §. 2. & 6. De honestate, & vita Clericorum tractant R. J. 1530. §. 32. 1548. tit. 14. §. 5. 1557. De alienatione bonorum Ecclesiæ R. J. 1530. De collectis Cleri ad bellum turcicum 1542. De immunitate Ecclesiarum, & Ministrorum ab oneribus belli R. J. 1577. tit. 6. §. 1. Advocatiæ, quam gerit Cæsar pro Ecclesia, jura, & officia designant Recessus Imperii passim &c. 7 Capitulationes Cæsareæ, inter quas una ex novissimis art. 14. §. 5. tractat de separatione causarum ecclesiasticarum à sæcularibus, evitandoque conflictu potestatis laicæ, & sacerdotalis &c. 8 Constitutiones Imp. Uti est celebris constitutio Friderici II. à Statibus imperii subscripta, quæ extat post libros feudorum &c.

Dissertè probat *Espenius*, quod non parum utilitatis disci-

ciplina ecclesiasticæ accedat (a) per Jus Justinianeam, quia leges Imperatorum Christianorum, quæ circa statum Ecclesiæ publicum, ejusque Ministros, ac bona sæcularia in corpore Justiniano comprehenduntur, semper magni olim habitæ fuerunt, l. 8. *Cod. de SS. Trinit.* Scimus enim, leges civiles, vel secundum præambulos Canones l. 12. *a. de SS. Eccles.* vel saltem de consensu Episcoporum l. 7. & 8. *Cod. de SS. Trinit.* passim conditas fuisse, & Præsules ecclesiasticos semper hunc pium zelum Principum orthodoxorum collaudasse. Imo si veterem Ecclesiæ statum propius indagamus, patet, quod Principes sæculares jam multum pro conservando bono ordine in Ecclesia, & amplianda politia externa in ecclesiasticis egerint ex Episcoporum assensu, ut hodie dum adhuc per exercitium *juris circa sacra* fieri solet. Interdum tamen constat, quod leges civiles Romanæ multum auctoritatis hodie dum per revolutiones temporum, atque immutatam status ecclesiastici faciem, & præsertim per sæculares ecclesiasticorum Principum possessiones perdidierint: solent enim hi ipsimet saluberrimis constitutionibus, ac remediis in promptu prospicere cunctis Fidelium morbis.

Ut exactius possit dignosci (b), quæ legem inter, & Canonem intercedant differentiæ, sequentes adnotabimus regulas. 1 In causis spiritualibus, & ecclesiasticis attenditur solum Jus canonicum. 2 Inter personas ecclesiasticas in causis profanis lites secundum Jus civile deciduntur. 3 Si de peccato, & conscientia agitur, Jus canonicum à civili discrepans servabitur ab omni Catholico. 4 Lex civilis per expressos Canones, vel observantiam, ut ajunt, canonizata, obtinet etiam in foro ecclesiastico. 5 Ubi in causis profanis deficit Jus canonicum, aut obscuritate, aut præteritione casus, decisio depromitur ex Jure civili. 6 Vicissim ubi deficit Jus civile, suppletur à canonico. 7 Quodsi vero reperitur antinomia inter leges, & Canones, atque materia sit indifferens, sequi oportet jus quodque in suo foro. 8 Delictis mixti fori quodque jus suam peculiariter pœnam dictat.

Civiles leges nequiquam aspernantur S. Canones (c). Sancivit Justinianus. *Sacros autem Canones non minus, quam leges valere, etiam nostræ volunt leges. Sancimus obtinere in illis, & quæ sacris visa sunt Canonibus, perinde acsi civilibus inscriptum esset legibus, l. 45. C. de Epis.* Nimirum maxime in hominibus sunt dona Dei à superna collata Clementia Sacerdotium, & imperium, & illud quidem Divinis ministrans, hoc

(a) De usu Juris Justinian. in Discip. Eccles. (b) Regul. pro dignosc. inter leg. & canon. differenti. (c) De harm. inter leg. & Canon.

autem humanis præsidens, de diligentiam exhibens, ex uno, eodemque principio procedentia humanam exornant vitam. *No- vel. VI. in Præfat.* unde colligitur, quam singularis inter Canones, & leges, Sacerdotium inter, & Imperium detur harmonia.

Juxta Espenium pro assequenda (a) perfecta Canonum notitia, eorumque genuino sensu conveniens est inspicere textum originalem, sive græcum, sive latinum. Quin & variaz Canonum Versiones subsidio sunt ad assequendum sincerum Canonis sensum. Recurrere quoque oportet non tantum ad primas Canonum collectiones, sed & ad harum Decretalium fontes, ubi perpendendum, quid condendo Canonum occasionem dederit: e. g. quis fuerit error, aut abusus, cui Canon opponitur. Cum Decretales Gregorii IX. maximam partem desumptæ sint ex epistolis Rom. Pontificum, inspiciendus est status difficultatum, & quæstionum, ad quas illi interrogati responderunt. Cum vero status quæstionis propositæ, omnesque illius circumstantiæ sæpius neque ex Decretali, neque ex integra Pontificis epistola haberi queant, sed ex temporum illorum Historicis hauriendæ sint, hinc pro Canonum scientia plurimum conducit historiarum præsertim occidentalium notitia, non ex vulgatis quibusvis, sed cœtaneis repetenda. Demum pro Canonum intellectu servit scire variatas pro temporum, & locorum diversitate vocum, & verborum significationes, e. g. Parœcia, seu Paroquia, quæ hodie districtum unum Presbytero, quem dicimus Parochum, commissum significat, olim significavit integrum Episcoporum districtum, quem nunc *Diœcesin* dicimus. Diœcesis autem pro districtu plurium Provinciarum ecclesiasticarum accipiebatur &c. Unde opus est, ut studium juris à titulis de *verborum significatione* incoëtur, & legantur virorum eruditorum observationes, notæ, vel Glossaria, quibus obscurorum, aut obsoleto- rum verborum, sæpius in Decretalibus occurrentium, significationes exponunt.

Præmissis subsidiis addere juvat regulas (b), ex quibus potissimum mensuranda est Canonum auctoritas. 1 Ad fontes originarios, nempe ad Conditores Canonum est recurrendum. 2 Canones Conciliorum, tam generalium, quam particularium in vim legis universalis adprobatorum, & receptorum, ut & Pontificum, dummodo in vim legis emanaverint, ac sufficienter promulgati, & recepti fuerint, habent auctoritatem legalem pro universo orbe catholico. 3 Canones Synodorum particularium pollent auctoritate pro suis Ecclesiis, pro quibus condebantur. 4 Canones improprie tales, quales vocantur

(a) De subsid. pro asseq. Canonum notitia. (b) Regula pro asseq. Can. not.

sententiæ SS. Patrum, vel etiam aliorum Doctorum in corpus juris relatæ, vel Canones omnino ex fontibus incertis, supposititiis, & spuris deprompti, per se auctoritatem non habent, nisi vel per relationem in corpus, vel ex usu, & praxi acceperint. His regulis unanimis Doctorum orthodoxorum assensus assistit.

Espenius Decretalium Interpretes (a) in tres dividit classes. *Prima* complectitur eos, qui explanatione Juris canonici, & Decretalium intermiscunt Ecclesiæ disciplinam ex SS. Canonibus, & sanctis Patribus haustam, ac insuper ex Decretalium fontibus, atque historiis genuinum earum sensum desumunt. Interpretes hi sunt eruditione, atque utilitate præcipui. *Secunda* classis comprehendit illos Juris canonici, aut ecclesiastici Scriptores, qui juri communi non tantum aliquid de pristina disciplina immiscunt, sed insuper jus patrum, & consuetudinarium adjiciunt, illudque variis tribunalium, præcipue regionum sententiis, ac decisionibus confirmant. *Tertia* classis continet illos, qui omnino ipsis Decretalibus, sive Juri canonico scripto inhærent, nec nisi raro ex ipsis Decretalium primis fontibus, vel historiis sensum Decretalium quærunt, vel investigant. Hujus generis famosissimi sunt, qui vulgo Glossographi dicuntur, eo quod ad singula Capitula suas glossas, sive breves adnotationes, aut expositiones apposuerint. In Germania nostra novissimi Juri canonici Scriptores Decretalium ordinem nullatenus sequuntur. Juri canonico historiam, & jus publicum ecclesiasticum immiscunt: introductiones vero, & præcognita solum compendio exhibent. Student quoque pro focis Germaniæ eo magis inservire, cum plurimum de Provinciarum, in qua unusquisque horum Auctorum scripsit, usu, observantia, consuetudinibus, & juribus singularibus immisceant.

Espenius facit quasdam reflexiones (b) in Decretalium Commentatores, quas hic apponere non incongruum duco. 1 Cum omnes corporis canonici partes potissimum forensia prosequantur, & pro decidendis causis judicialibus promulgatæ sint, adeoque & ipsemet Decretalium Comentariorum præcipue circa judicialia, ac forensia occupentur, suadendum Clericis, ut illorum lectioni adjungant lectionem SS. Scripturæ, SS. Patrum &c. ut non plane aridi, totique forenses, ac veri spiritus ecclesiastici expertes reddantur. 2 Commentatores hi dum potissimum circa judicialia, & forensia occupantur, non satis distinguunt inter forum internum, & externum, sæpius licita pronuntiantes, quæ quidem in foro forensi

(a) De Decret. Interpret. (b) Reflex. in Decret. comment.

impugnari, aut irritari nequeunt: at in foro poli, seu in foro conscientiae saepius illicita sunt. Sic institutio in favorem, seu iustificacionem unius ex duobus praesentatis, si is alias est capax, pro foro fori impugnari nequit. Ast in foro poli, seu conscientiae nullus gratificationi locus est. 3 Decretalium Interpretes, dum materiam Beneficiorum unice fere considerant in ordine ad iudicium forense, Beneficia potissimum attendunt quoad temporalia, de quibus pene solis moventur lites, quasi primum, ac principale in beneficiis esset ipsum temporale: ideo nonnunquam de Beneficiis non secus, ac de re aliqua profana, & temporali, ratiocinantur. Sic docent, quod in permutatione Beneficiorum, si unum praeponderat alteri, ratione inaequalitatis fructuum pinguiori Beneficio possit imponi pensio. Item beneficia non sat considerant tamquam ministeria Ecclesiae, quae Clericos ad laborandum, & militandum in militia Christi adstringunt. Unde ea omnia, quae Clerici acquirunt alia ratione, quam respectu Beneficiorum, veluti celebrando, concionando, confessiones audiendo, Vicariae temporali deserviendo, aut alias similes actiones spirituales exercendo, reputant inter propria Clericorum bona quasi patrimonialia, adeo, ut de iis, quidquid volunt, donare, testari &c. possint. 4 Laxiorum Theologorum opinionem secuti tradunt nonnulli praefatorum Commentatorum, quod in praxi, si utrinque sint dubiae multorum sententiae, liceat sequi utramlibet pro libitu, ac si jus clarum esse. Per hanc sententiam aperiuntur pessime laxitatis portae. Videndum ergo potius, ut in dubiis sententiis tutior, & probabilior semper eligatur opinio, nec non inter Jurisprudentiam ecclesiastico-juridicam, & politicam caute discernatur, & utraque ad facta emergentiae sedulo applicetur: per illam utpote docemur, qua arte actiones nostrae secundum leges Juris ecclesiastici justa interpretatione ad casus obvius sint applicandae: per hanc autem instrumur, quomodo actiones justae salvae legibus juris, & iustitiae in utilitatem Reipublicae ecclesiasticae dirigantur.

Hae sunt, quae ex praenominato opusculo desumenda, seu potius transcribenda duxi. Pertractavit in eo Auctor animadversionum gravissimas materias, sed eas non juxta ipsarum dignitatem explanavit. Quid ergo mirum, si & in hac nostra synopsi, in qua illius Auctoris sententiis pene ad omnia verba inhaesi, plura desiderentur. Juvat interim haec tetigisse, ut Lectoris intellectus excitetur ad ea magis disquirenda, quae Germaniae usibus hac in re conveniunt.

## CONSPECTUS

## III. PARTIS.

## DE BONIS ECCLESIASTICIS.

Titulus. I. De beneficiis.	Pag. 1.
Tit. II. De aetate, & qualitate Beneficiandorum.	11.
Tit. III. De pluralitate beneficiorum.	19.
Tit. IV. De ordinaria beneficiorum provisione.	32.
Tit. V. De concursu ad Parochiales Ecclesias.	42.
Tit. VI. De reservationibus Apostolicis.	50.
Tit. VII. De provisionibus Apostolicis.	62.
Tit. VIII. De jure Patronatus.	75.
SECTIO II. De Regalia.	91.
Tit. IX. De institutione, & possessione beneficiorum.	98.
Tit. X. De resignatione, & permutatione beneficiorum.	108.
Tit. XI. De pensionibus ecclesiasticis.	120.
Tit. XII. De unionibus beneficiorum.	133.
Tit. XIII. De simonia circa beneficia.	142.
Tit. XIV. De acceptatione Personarum in provisione beneficiorum.	159.
Tit. XV. De bonis temporalibus Ecclesiae.	165.
Tit. XVI. De decimis, & oblationibus.	175.
Tit. XVII. De portione congrua Pastorum.	189.
Tit. XVIII. De immunitate ecclesiasticorum bonorum.	197.
Tit. XIX. De administratione, & alienatione bonorum ecclesiasticorum.	203.
Tit. XX. De hospitalibus, & locis religiosis.	212.
Tit. XXI. De sepulturis	222.

## IV. PARTIS.

## DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

<b>T</b> itulus I. <i>De jurisdictione ecclesiastica.</i>	235.
Tit. II. <i>De causis ecclesiasticis.</i>	247.
Tit. III. <i>De jurisdictione criminali.</i>	263.
Tit. IV. <i>De delictis ecclesiasticis.</i>	276.
Tit. V. <i>De reliquis delictis ecclesiasticis.</i>	288.
Tit. VI. <i>De judiciis Ecclesiasticis.</i>	303.
Tit. VII. <i>De ministris Curiae ecclesiasticae.</i>	312.
Tit. VIII. <i>De instructione causarum civilium.</i>	322.
Tit. IX. <i>De instructione causarum criminalium.</i>	341.
Tit. X. <i>De sententiis, &amp; executione.</i>	355.
Tit. XI. <i>De appellationibus, &amp; recusationibus.</i>	368.
Tit. XII. <i>De pœnis, &amp; censuris ecclesiasticis.</i>	383.
Tit. XIII. <i>de exemptionibus Regularium.</i>	409.

## JURIS ECCLESIASTICI

## D. VAN-ESPEN

## PARS III.

## DE BONIS ECCLESIASTICIS.

## TIT. I.

*De Beneficiis.*

## CAPUT I.

*De Origine, & Natura Beneficiorum.*

1. **N**ostris moribus multiplex religionis officium incumbit Parochis, quia titulo ipsius Beneficii, quod possident, tenentur ad Sacrorum administrationem, & celebrationem in suis Ecclesiis. Beneficium enim datur propter officium. *c. 15. de Rescr. in 6.*

2. Beneficii nomen ex jure feudali trascribere placuit. Jure novo prætendit Innocentius II. Papam, veluti jure feudi, omnium Beneficiorum ecclesiasticorum Dominum, aut Authorem esse. *Constat (a), inquit Romam esse Metropolin orbis; inde recipiuntur dignitates ecclesiasticae per gratiam, & licentiam Romani Pontificis; veluti jure feudi.*

3. Primis sæculis & ipsi Clerici ex bonis Ecclesiae vivebant. Bona erant communia, quorum dispensatio ex nutu Episcopi fiebat inter pauperes, & Clericos. Fuere Clerici non pauci, qui extra communitatem vixerant, vel quod uxores essent sortiti, vel aliis de causis. His stipendia vel hebdomadatim, vel menstrue, aut in pecunia numerata, aut in certa ciborum portione, quæ proinde instar erogationum militarium Præbenda dicitur, suppeditabantur. Hujus generis stipendia pro-

(a) Racin. Tom. 5. Art. 12. §. 7.